



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quomodo apparuit Angelus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

sta, cuius merito Deus quotidie exorabitur, cuius typus erat sacerdos vnus, solus thymiama accendens.

§. 4. Qui Pontificem summum fuisse negant, varias habent causas, non omnes firmas.

Primo negant, summi Pontificis fuisse munus, incensum offerre: sed intrare in sancta sanctorum. Exod. 30. 10. Leuitic. 16. 2. Hebr. 9. 7. Infirma tamen est ratio. Poterat enim etiam alia sacrificia Pontifex offerre. Intrare sancta sanctorum soli licebat, offerre incensum non vetabatur; credibile est pios Pontifices crebro Deo sacrificia obtulisse.

Secundo, Angelum sterisse ad dextram Altaris incensi, in eo ergo thymiama oblatum. Ne hoc ad rem: egresso enim ex sanctis sanctorum apparere potuit, vel etiam ingressuro.

Tertio. Melior ratio, quod Lucas de eo, vt priuato, vel vno de multis loquatur: *ἰσχυρὸς ἦν, quidam Sacerdos, non ἀγένης, aut μέγας ἰσχυρὸς.* Et Syrus Sacerdos vnus. Mihi certissima ratio videtur, quod summus Pontifex Ierosolymis resideret, Zacharias in montanis Iudæ habitaret. Etenim exemplum nullum occurrit, quo ostendatur alio in loco Pontificem habitasse. Centē Heli cum tabernaculo habitat, pariterq; Abiathar, ac ceteri. Ita q; Ierosolymis domum habebant, ordines venientium dirigebant, iudicabāt, regibus aderant. Qui ex tempore felici expiationis argumentantur, probabile argumentum habent, sed eius expositio ad Exodum pertinet.

§. 5. Notandum est etiam illud, ordinem in Ecclesia caeremoniarum aliter, atq; aliter institui, formatiq; posse. Dauid cum Sacerdotibus, vices, quæ ante nullæ erant, constituit. Vni Sacerdoti in singulos annos hebdomades dantur duæ. Id planè nouum erat: non ex præscripto legis, non contra legem tamen. Frustra igitur est Caluinus cum ait, nihil nisi ex præscripto legis egisse. Nulla lex ordinem nulla vacationem annuam dedit, duarum hebdomadarum labore contenta.

VERSVS 11.

Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris Altaris incensi.

QUESTIO I.

Quomodo apparuit Angelus?

1. Falsum est, quod refert Epiphanius hæresi 25. quosdam ex apocrypho Zachariæ libro dixisse: *Es monstrum quoddam apparuisse a sinino capite.* Quam fabulam à gentilibus acceptam non dubito, qui Iudæos alicui caput adorare fabulati sunt. Forma igitur vni apparuit, quemadmodum Danieli, quem ille idcirco etiam virum appellat. Dan. 3. 49. & Genes 19. 1.

Dæmonum proprium est monstrorum specie apparere. Non quod non alia malint, quæ facilius se inuoluere queant, sed quod Deus nolit. Origenes quidem etiam ante adfuisse asserit, nunc autem cum videti voluit, accepisse formam humanam, quia non dicitur *ἰσχυρὸς*, sed *ἰσχυρὸν* visus est, sic etiam elicit Syriaque *ἰσχυρὸς*, *ἰσχυρὸς*, & visus est, vbi pro relatiuo *ἰσχυρὸς* more Hebræo repetit nomen, & dicit, *ἰσχυρὸς Zachariæ.* Sed constat hæc confundi, Angelus Gabriel ait, *semisum à Deo*, quo satis constare videtur ante non fuisse in templo: quamuis missio non necessaria absentiam designat: satis est namq; effectum edere, & negocium

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

mittentis voluntate de nouo perficere. Sic Spiritus cum mitti dicitur, non tamen locum mutat, sed id operatur, quod in loco, in quo ante erat, nouum est.

§. 2. Mittendi causa fuit, vt omnibus constaret, non humana virtute, non ordinario cursu naturæ, sed nouo miraculo prolem esse nascituram. Duæ erant *ἀνεύλας* orbitatisque causæ. Sterilitas Elisabethæ, quæ iam vbique nota erat, ita vt vocaretur *Sterilis*. Deinde vtriusque fenestra, quæ etiam, foecundorum in constanti ætate, sterile scere assoleret. Confule August. serm. 20. de Sanctis. Maximum homil. 3. de Baptista.

VERSVS 12.

Et Zacharias turbatus est, videns: & timor irruit super eum.

QUESTIO I.

Cur turbatus est?

§. 1. Vehementem perturbationē textus indicat, *ἐταράχθη*, turbatus est, & timor irruit super eum. Adeo vt toto corpore paueret, ac tremere. Causam timoris naturalem fuisse non est quod dubitemus. *Perturbamur enim, & à nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicuius superioris potestatis occurso.* Quemadmodum autem Genes. 1. 28. Deus homini dedit imperium, in animantia, Ideoque etiam post peccatum Genes. 9. 2. manet terror nostrer, ac tremor super cuncta animantia terræ: quia homo maiore dignitate animal est, propter quem alia sunt creatura: pati ratione ex Dei apparitione oritur reuerentia ac timor, quia summum dominium in subditos terrorem efficit.

Causa turbationis ex presentia Angeli.

Reuerentia Dei ex presentia.

Eoque maior, quod ille absolutus sit omnibus in rebus Dominus, nostrum in animalia ius imperfectum, potestas imbecillis. Est etiam inter animalia hoc discrimen. Quæ enim firmiter naturæ sunt, aliorumq; domina, ab eis in quæ possunt, vehementer timentur. Sic omnia leonem, & suum quæq; aduersarium formidant. Ita se res inter hominum, & spirituum naturas habent. Spiritus enim cum fortis sit, velox, acer, nulla corporum impedimenta moretur, omnia nostra videat, nos è contrario imbecilles, tardi, nihil nisi corporeum sensibus percipientes, naturalis est in illis vis, ac robur, quo nobis pro arbitrio vti, seruare ac perdere valent. Si igitur Angeli in puris naturalibus, aut in viâ, fidem habentes, inter nos versarentur, naturâ magnum metum incuterent, vt quorum in potestate omnia nostra tenerentur. Hanc naturæ eminentiam, quæq; inde consequitur reuerentiam & metum naturæ inferioris, nec gloria in bonis Angelis minuit, nec in malis damnatio abstulit. Naturalia enim pœna non destruxit. Hinc manet idem terror etiam Sanctis, Deiq; amicis. vt in Daniele cap. 10. Cui sententiæ consentiunt Hiero. Orig. Chryl. D. Thom.

Imbecillior metuit fortiozem.

Sancti etiam Angeli lostiment.

§. 2. Metus Angelorum, ac generatim omnium Spirituum, tria ingentia habet, eaq; perpetua commoda. Primum est, vt debitam Deo reuerentiam conciliet, ne eo modo, quo gentes cum deo stris suis confueuerunt, agamus. Ideo enim in monte Sinai tam magno terrore concussit populum suum, vt terror illius esset in eis, & non peccarent.

Utilitas ex reuerentia Dei.

Alterum est, vt cum incredulos, impiosq; terrent spectra, dæmonesq; affligunt, credant esse Deum, esse aliquid manes, non omnia finire rogum: tollaturq; anti-

Terror dæmonum contra Athesmum.